Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26122
Copyright: Admont, Benediktinerstift

consummationem abolendum esse chrisma. quod apud iudeos sacra
tissimum seruabatur. idem propheta designat. Id quidem manifestis
sime eo ipso tempore. quo dominus noster ihesus christus aduenit. probatur
impletum. Hec autem a nobis pernecessario relata. ad ostendendam
ueritatem temporum teneantur. CAP. VII.

vii Uerum quoniam de generationibus christi. uarie nobis Matheus
et lucas euangeliste tradiderunt. et contraria sibi aquam plu
rimis dicere putantur. in quo etiam non nulli fidelium.
ueritatis ignorantia. commenta quedam pro suis quisque opinio
nibus conantur adhibere. etiam de hoc hystoriam que ad nos usque
deducta est in medium proferamus. Affricanus cuius supius
fecimus mentionem. scribens ad aristiden quendam de euangeliorum
consonantia. et de genealogiis. que a matheo et luca di
uerse referuntur. ceterorum quidem opiniones procul a ueri
tate errantes coarguit. ipse autem hystoriam quam compererat
his ipsis protulit uerbis. Apud gentem inquit israhel generationum
Af FRI CA NUS nomina. nunc secundum naturam. nunc etiam secundum legis ordinem nu
merantur. Nature quidem successiones habentur. que ex seminis
uel sanguinis ueritate descendunt. legis autem quis filius alio
generante substituitur. sub nomine fratris defuncti sine liberis.
Cum enim resurrectionis inter eos spes nec dum fuisset accepta.
per hec resurrectionis quandam imitabantur imaginem. uti
ne nomen generis uicio sterilitatis aboleretur. Cum igitur hui
cemodi apud eos generationum ordines seruarentur. ut quidam ex ip
so genitore. quidam ex substitutione ab aliis generati. aliis filii.